



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio CXX. Christus à Judæis reprobatus & crucifixus, factus est totius Ecclesiæ lapis angularis in Resurrectione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

optimi illius Pastoris recuperatam, drachmam amissam inventam, & filium prodigum (typum nostrum) ad frugem & salutem redeuntem, Luc. 15. 10. atque in Patris gratiam receptum &c. Sed & homines lætificavit, quia de supplicio damnationis aeternæ ereptos cœlo inferuit. O vitem felicem: *Veni, & impera nobis; non quærimus alium Regem nisi crucifixum.* Judæi quondam in propriam suam conclamarunt perniciem: *Sanguis ejus super nos & super filios nostros.* Nos Christiani sub alia ratione clamamus: *Sanguis ejus super nos,* non ad interitum, sed ad salutem & vitam sempiternam. Et si vinum est sanguis terræ, hoc est: Optima pars terræ, lætificans Deum & hominem; Plus Christus in cruce est, pars nimirum optima nostra, de qua Vates Regius: *Dominus pars hereditatis meæ & calicis mei: tu es qui restitues hereditatem meam mihi;* Et in alio loco: *Quid enim mihi est in cœlo? Et à te quid volui super terram?*

*Defecit caro mea & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*

Matth. 27. 25.

Psal. 15. 5.

Psal. 72. 25.



## CONSIDERATIO CXX.

Christus à Judæis reprobatus & crucifixus, factus est totius Ecclesiæ lapis angularis in resurrectione.

*Lapidem quem reproba-verunt adificantes, factus est in caput anguli. Psal. 117. 21.*

I.

**M**irabilem quondam visionem habuit Zacharias Propheta, qui cum nunc ageretur de reedificando templo Solymœo, à Chaldæis prius destructo, lapidem quemdam grandem, pretiosum, cælatum, ac septem oculis insignitum conspicatus est, pro fundamento in illo magnificentissimo templo à Cyro collocandum: *Ecce lapis, quem dedi coram Jesu; Super lapidem unum septem oculi sunt, Ecce ego calabo sculpturam ejus, ait Dominus exercituum: Et auferam iniquitatem terræ illius in die una.* Alludebat in hoc Zacharias

Ginther Unus pro omnibus. LII charias

charias ad primum & angularem lapidem, per dictum Cyrum Principem & Darium in novo templo pro basi ponendum, quem prius architecti caelarunt, expolierunt, & principis benefactoris insignibus ornarunt, atque sic magnâ cum solemnitate in fundamentis collocarunt: Super quem lapidem reliquam exinde fabricam inchoabant, & ædificabant; liceat lapidi illi fundamentali ac primario pro lemmate inferibere: *Primus & Novissimus*. Et hic est sensus litteralis, sed alium quarimus.

Apoc. I. 17.

Per eundem lapidem à Castro Christum & hunc crucifixum subaudit, qui in passione multis incisionibus, plagis ac vulneribus, quasi lapis septem ocellis caelatus fuit. Audi in hunc locum Cornelium: *Christus, inquit, quasi lapis, caelatus fuit in passione, dum clavis, spinis & flagellis active, tam vulneribus, plagis & vibicibus passive, quibus totum corpus suum fodi, & aperiri voluit, ut immensam suam in nos charitatem intus latentem per has quasi rimas ostenderet, & effunderet, juxta illud: Cernis, ut in toto corpore sculptus amor.*

Cornel. in  
Zachar. 3. 9

2. De Jacobo Patriarcha referunt sacrae Paginae, quòd lapidem illum, super quo tam dalciter dormiebat, mirabilemque illam caeli scalam viderat, surgens de somno crexerit: erectumque oleo inunxerit, ut esset monumentum perpetuum tam stupendae visionis & apparationis divinae: *Tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, & crexit in titulum, fundens oleum desuper.*

Gen. 28. 18.

S. Augustinus & alii per hunc lapidem allegoricè Christum subaudiunt, ille enim est lapis Ecclesiae angularis, ut patet Ephes. 2. 20. ungens & unctus oleo exultationis prae confortibus suis: Lapis quidem, quem reprobarunt impii Judaei in passione, sed in sua gloriosa resurrectione factus est in caput anguli, quod non obscure praevidit Vates Jessæus, dum de illo vaticinatus est: *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, factus est in caput anguli; à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.*

Psal. 117. 21

3. Hunc Scripturae locum Christus ingratis Judaeis objecit paulò ante passionem suam: *Nunquam legistis in Scripturis: Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli.* Observa; de se ipso hic loquitur Christus, tanquam lapis vivus ac pretiosissimus, quem Judaei architecti Judaicae Ecclesiae, hoc est Sacerdotes, Scribae & Pharisei ut inutilem rejecerunt ad Synagogam suam aedificandam, qui tamen factus est, & positus ut lapis capitalis & angularis Sacrae Ecclesiae Christianae & Catholicae, supra quem tota Ecclesiae machina aedificata est.

Matth. 21. 42

Hoc argumentum à Christo edoctus: summoperè urgebat Sanctus Petrus, ubi illum ab utero matris claudum ad speciosam templi portam in Hierusalem per virtutem SS. Nominis Jesu crucifixi erexit, & sanavit. Erant tunc in consilio presentes Annas princeps Sacerdotum, Caiphaz, Joannes, Alexander cum cæteris Senioribus, Scribis, & legis Doctoribus congregati, & quotquot erant de genere Sacerdotali, quibus omnibus S. Petrus Apostolus in faciem objicit prædictum Davidis Regis de Christo varicinium: *Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis adificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in aliquo alio salus, nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

Act. 4. 11.

Hic est ille lapis, quo David insignis bellator & fundibularius adhuc in juventute sua Goliath immanem illum gigantem interemit: *Percussit Philistaum in fronte: Et infixus est lapis in fronte ejus, & cecidit in faciem super terram.* Supra quem Scripturæ textum egregiè S. Augustinus: *Videte, inquit, fratres, ubi David Goliath percussit, in fronte utique ubi crucis signaculum non habebat. Sicut enim baculus crucis typum habuit, ita etiam lapis ille, de quo percussus est, Christum Dominum figurabat. Ipse est enim lapis vivus, de quo scriptum est: Lapidem quem reprobaverunt adificantes, hic factus est in caput anguli &c.*

1. Reg. 17. 49.

S. Aug. serm. 191. de Temp.

4. Hic est ille lapis adjutorii, quem Samuel fidelis Propheta Domini, tamquam perenne monumentum ob obtentam à Deo contra hostes victoriam posuit & erexit: *Tulit autem Samuel lapidem unum, & posuit eum inter Masphath & inter Sem: Et vocavit nomen loci illius Lapis adjutorii. Qui lapis à S. Cypriano vocatur lapis auxiliator, quia præsignavit Christum crucifixum, qui est lapis vivus adjutorii & auxiliator fortis.*

1. Reg. 7. 12.

Hic est ille lapis, super quo Moyfes orans, lassâ sustentabat brachia, dum interim Josue contra Amalec pugnavit, & ab eo reportavit victoriam: *Cùmque levaret Moyfes manus, vincebat Israel: Sin autem paululum remisisset, superabat Amalec. Manus autem Moyfi erant graves: sumentes igitur lapidem, posuerunt subter eum, in quo sedit: Aaron autem & Hur sustentabant manus ejus ex utraque parte. Et factum est, ut manus illius non lassarentur usque ad occasum solis: fugavitque Josue Amalec & populum ejus in ore gladii.*

Exod. 17. 11.

Adverte. Per utrumque, tum Moysem extentis per modum crucis brachiis in monte orantem, tum per lapidem ad hoc cooperantem crucifixus Salvator noster præsignatus est. Ita S. Cyprianus. Hinc & David jubilans ait: *In petra exaltasti me. Et statuit super petram pedes meos: Petra autem erat Christus.* Ita Gentium Doctor Paulus.

S. Cyprian. l. 2. contra Judæos c. 16. Psal. 39. 3.

5. Videbat quondam Rex Nabuchodonosor in somnio giganteam quandam ac mirabilem statuam, cujus caput ex auro optimo

L il 2 erat,

erat, pectus & brachia de argento, venter & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars ferrea, quædam autem fictilis. Et quid accidit? Subito abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum & aurum, & redacta est statua quasi in favillam æstivæ aræ, quæ rapta sunt vento; nullusque locus inventus est in eis: *Lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & implevit universam terram.*

Dan. 2. 35.

Observe: Statua hæc portentosa quatuor præsignabat monarchias & mundi imperia, quæ ab uno lapide de monte abscisso contrita sunt & eliminata. Lapis autem iste præfigurabat Christum & hunc crucifixum, abscissum de monte, id est, ait Tirinus, de B. Virgine, quæ instar montis omnibus præcallebat virtutibus & gratiis, qui exinde lapis mysticus in cruce regnum diaboli & mundi non tam dejecit, sed & penitus evertit, proinde in resurrectione sua factus est mons magnus, & petra refugii, supra quam fundata est universa Ecclesia.

Cant. 2. 14.

6. O felix illa anima, quæ huic petra innititur, & in ejus foraminibus suam habitationem quærit. Imitare proinde Sponsam illam dilectam, de qua sanguinum Sponsus Crucifixus Dominus: *Columba mea in foraminibus petra: in caverna maceria.* Observe: Columba agrestis non in columbariis, sed in rupibus & cavernis solet nidificare; Talis columba, vult dicere crucifixus Jesus, esto & tu, anima Christiana, nidificans per devotam meditationem in foraminibus petrae & in caverna maceriae, hoc est, prout ait S. Gregorius, in quinque sacratissimis Christi Sponsi tui vulneribus: *Per foramina petra, ait, vulnera manuum & pedum Christi in cruce pendentis libenter intellexerim, cavernam verò maceriae vulnus lateris, quod lancea factum est, eodem sensu dixerim. Et bene columba in foraminibus petra, & in caverna maceria esse dicitur, quia cum in crucis recollectione patientiam Christi imitatur, dum ipsa vulnera propter exemplum ad memoriam reducit, quasi columba in foraminibus. Sic simplex anima in vulneribus nutrimentum, quo convalescat, invenit. Imitare hanc Sponsam.*

Jerem. 5. 6.

Jerem. 52. 7.

7. *Lupus ad vesperam*, dicebat quondam Jeremias, alludens ad Nabuchodonosorem prædonem nocturnum, dum de nocte invasit, & cepit Jerusalem; & quia sæviebat in Hebræos, instar lupi vespertini & famelici, qui de die ob metum venatorum dormit, & latet in antro jejunos, de nocte autem magnâ excitus fame, quasi rabidus ad prædâ excurrit, nulli animalium & neque homini parcens; ita & Nabuchodonosor cum Judæis fecit. Vide Jeremiam c. 52. 7. Non est autem melius ac securius remedium ferocissimum à se abigendi lupum, prout testatur Pererius, & experientia probat, quàm duo lapides,

des, quorum collisionem & jactum formidans lupo, mox in fugam se recipit, quia ex ea parte, quâ lapide tactus est, verminare solet, & putrescere, ac tandem perire.

Si te invadit lupo infernalis, anime mi, & prædo ille nocturnus te ad libidinem sollicitat, citò apprehende lapidem, & projice in eum; Lapis autem iste alius non est, quàm lapis angularis, supra quem adificati sumus, Christus JESUS & hic crucifixus, ad cuius SS. Nominis invocationem sine mora fugam arripiet. Imitare denique apiculam, quæ dum ad flores evolat, & interim ventus insurgit vehementior, lapillum colligit, ut gravior fiat, & sic vento possit resistere. Si insurgunt in te venti tribulationum &c. Collige lapidem angularem, principalem, crucifixum JESUM, & securus eris.

## CONSIDERATIO CXXI.

Cervus veneno & vulnere faucius, & ad fontem aquarum properans, typus animæ ad Crucifixum anhelantis.

*Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus. Psal. 41. 2.*

1.

**D**Avid Israelitarum Rex venationibus se sæpius, prout solent Principes, exercens, bellisque affuetus, sæpe à venatione & armis in psalmis suis comparationes ducit, unde & psalmum quadragesimum primum à cervi venatione orditur: *Quemadmodum, inquit, desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.* Vult dicere David: Quanta velocitate & aviditate cervus post cruentas pugnas cum hostibus suis, ac præsertim post dilacerationem & comestionem serpentum siti æstuans, ad fontem ac fluminum latices rapitur, ut vires reficiat, sitimque restinguat: tanta animus meus pernicitate inter tot adversa & continuas pugnas cum

L II 3

cum